

IV. fol. 229. eodem modo *Ezechiel*, nisi quod a C. XXXVI. v. 22. ab ipso Prophetæ textu manum abstinuerit Librarius, relictoque spatio folam *Lyrani* circumdederit interpretationem.

In exteriori Theca deprehensus est fugientibus ductibus: *M. Conradus Salter*, quem eundem puto cum *Conr. Salder de Rotnacker*, quem ab a. 1449. ter Decanatu Philosophico functum tradit *Locheri Speculum Acad.* An vero is Commentaria hæc Auditoribus praelegerit, an solum possederit, in incerto est.

## LXXV.

R. 907 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 208. f. per columnas jam plures, jam pauciores luculente et eleganter exaratus, coloribus distinctus, quondamque Collegii S. J. *Viennæ* continet I. *Prophetiam Ezechielis* cum Glossa ordinaria, interlineari, et Postillis *Nic. de Lyra*, quibus facer Textus diversimode aut circumdatur, aut stipatur pro lectorum nempe commodo. Adest *Praefatio Hieronymi*, cui mox adjungitur prolixus locus *Gregorii M.* de triplici Tempore *Prophe-tiae ex Homil. I. in Ezech.* atque ita per decursum etiam interpretis iste in subsidium vocatur.

II. fol. 154. Succedit eodem modo adornata *Prophe-tia Danielis*. A Cap. XIII. five *Susannæ* Historia sensim deficiunt Glossatores, et Cap. XIV. ad v. 17. ultimus expirat Interlinearis in *ver- Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

ba: *Rex exclamavit uoce magna*, ita commentans: *Videtur hic falli (quis? an Daniel?) quod solet dici, magnam uocem non esse nisi in sanctis tantum; sed hec pericope apud grecos non est.* Non certe apud LXX. Verum, an non meminit *Hieronymi* ad finem Cap. XII. notantis: *Cetera quae sequuntur usque in finem Libri, de Theodotionis editione translata sunt?* Ibi enim legitur: *ὁ βασιλευς ἔκονσεν φωνὴ μεγάλη.* Ceterum si Codex hic elegans olim pars fuit, ut videtur, universi Operis biblici glossati, dolendum sane est, partes distractas fuisse.

## LXXVI.

R. 3171 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 134. f. columnis binis, ternisve nitide exaratus, coloribusque speciosus complectitur XII. *Prophe-tas Minores* ab *Osea* ad *Malachiam*. Praefationibus et Argumentis solitis praemissis, et utraque *Glossa* tam ad margines, quam inter lineas adstituta, unde duplex character: major Textus, minor *τῶν Παρεργῶν*. In ora infera fol. 2. ab alia manu notatur: *Exp-positores hujus libri Apollinaris Laodicensis, Origenes, Pierius, Eusebius Caesariensis, Didymus, Hieronymus*, quorum 1. et 3. non nisi ab *Hieronymo* commemorati.

## LXXVII.

R. 3308 Codex membraneus lat. Sec. primum XIII. dein VIII. Folior. nunc 179. f. utrobique eleganter exara-